

in his regionibus juberet efficeretque observari per Superiores Regularium.

Neque in Gallia hujusmodi expulsionem permitti, lat indicat Renatus Choppinus in suo Monastico lib. 1. tit. 3. atque in contradictorio judicio declaratum fuisse, fas non esse Superiori Monachum à Monasterio ejicere, aut ad triremes condemnare refert Bonifacem lib. 2. tit. 31. cap. 4.

XI. Quoad Apostatas jam notavimus, Edicto Caroli V. cautum fuisse, ne quis Apostatas Religiosos, aut sine licentia exeuntes recipiat, aut hospitetur, vel assistat, sed denuntiet officario loci, qui apprehensos restituat Monasteriorum Praefectis unde fugerunt.

Sat aperte significat Edictum, Religiosos Apostatas etiam invitos ac rebelles Monasteriorum Praefectis esse restituendos, ac in Monasterium retrudendos; quo rursus à pristina Monastica disciplina non nihil receditur.

Pristina enim disciplina non nisi poenitentes, & emendationem promittentes, qui à Monasterio propria voluntate se subtraxerant readmittebat; atque illos quos in sua Apostasia obstinatos videbat, à Monasterio repellebat.

"Frater [ait Regula Benedictina cap. 29.] qui proprio vitio egreditur de Monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egresus est; & sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus

humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur; jam postea sciens omnem sibi reverentiam adunum denegari."

XII. Interim ex illa Patrum disciplina quilibet sat intelligere potest, quam curam & sollicitudinem, ac prudentiam desideraverint, ac requisierint Patres in Monasteriorum Praefectis, que subditos suos ad obedientiam ac meliorem frugem quacunque via reducerent.

XIII. Discere quoque poterunt Monasteriorum Moderatores, ac Monasticae disciplinae Zelatores, quam solliciti fuerint Monachorum Patres, ut morbidas, atque putridas ac penè desperatas oves à suis gregibus separarent, scientes quam facile vel ab una infecta Ove totus Grex inficiatur.

XIV. Deinde cum moderna disciplina non permittat, Monachos rebelles, ipsamque Religionem quantumcumque turbantes expellere & à Congregatione omnino dimittere, major merito hodie in recipiendis ad Monasticam professionem cura, diligentiusque atque exactius examen, & probatio adhibenda sunt, quam olim, dum similes à Monasterio ejicere licebat, uti rectè advertit & monet zelosissimus Monasticae disciplinae Abbas Trappensis in commentario ad cap. 61. Regulae Benedictinae; cujus verba supra cap. 5. retulimus.

TITULUS XXVIII.

De Voto Obedientiae

CAPUT I.

Qualis debeat esse obedientia?

- 1. Praecipua virtus Monachorum est Obedientia.
2. De ea Magister Novitios praecipue instruere debet.
3. Quae ratio Obedientiae dicatur primus gradus humilitatis.
4. Obedientia debet esse generalis.
5. Obedientia requirit plenam à voluntate Superioris dependentiam.
6. Debet esse sine mora.
7. Requiritur ut sit fervens non tepida.
8. Debet exhiberi hilari ac propto animo.
9. Debet verus Obediens renuntiare propriae voluntati.
10. Tenetur etiam renuntiare proprio judicio.

I. DE Monachis sui temporis loquens S. Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium ait: "Prima apud eos, confederatio est, obedire majoribus, & quidquid jusserint, facere." Similiter Sulpitius Severus Dialogi 1. cap. 11. "Praecipua, inquit, ibi virtus & prima est obedientia."

II. Et Cassianus Magistri Novitiorum officium describens Lib. 4. Instit. cap. 8. ait: "Hæc erit ejus sollicitudo & eruditio principalis, ut doceat juniorem primitus suas vincere voluntates; quem studiosè in his ac diligentè exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo ejus esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt, Monachum, & maxime juniores, ne voluptatem quidem concupiscens, suæ refrænnate posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas dediderint voluntates."

III. Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora ait S. Benedictus in Regula cap. 5. Non quidem Ordine, sed utilitate, uti notat Smaragdus cap. 13. Diadematis Monachorum: "Obedientia, ait, salus est omnium fidelium, obedientia genitrix est omnium virtutum, obedientia regni caelorum inventrix est, caelum aperiens, hominem de terra elevans, obedientia cohabitatrix est Angelorum, obedientia Sanctorum omnium cibus est; ex

hac enim ablectati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt."

Cui convenit illud S. Ferreoli Ucetiensis Episcopi in Regula cap. 1. "Primum ut Monachus, quem proprie magister multas in se virtutes edificare, obedientia in se collocet fundamentum." Ut verò Obedientia Religiosa vera sit ac perfecta, requiritur.

IV. Primò, Praecipue Abbas in omnibus [uti loquitur S. Benedictus cap. 4. obedire, etiam si aliter, quod absit, agat. Vel ut cap. 7. dixit, "Pro Dei amore cum omni obedientia se subdere Majori."

"Nihil itaque recusandum est [inquit S. Columbanus in Regula cap. 1.] obedientibus veris Christi discipulis, quamvis durum & arduum sit: sed cum fervore, cum laetitia attingendum est. Quia si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Deo qui ait: Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et S. Benedictus cap. 68. "Si cui Fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quod si omnino vitium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi praest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post suggestionem, suam in sua sententia Prioris imperium perdesaverit, sciat junior ita sibi expedire, & ex charitate confidens, de adjutorio Dei obediat."

V. Secundò, perfecta Monachi obedientia exigit, ut Monachus in omnibus à voluntate Superioris dependeat; nihilque sine ejus agat consensu. Hinc S. Benedictus cap. 49. suæ Regulae loquens de operibus supererogationis, vult ut "hoc ipsum quod unusquisque offert prius Abbati, si suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate: quia quod sine permissione Patris spiritualis sit, praesumptione deputabitur & vanæ gloriae, non mercedi." Ergo, ait, cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt. Et capite 67. vindictæ regulari vult subiacere eum, qui praesumpserit quidpiam, etiam parvum, sine Abbatis jussione facere."

VI. Tertio debet esse Obedientia sine mora. Hanc conditionem exponens S. Benedictus cap. 5. ait de veris obedi-

obedientibus. "Mox ut aliquid imperatum à Majori fuerit, ac si divinitus imperet, moram pati nesciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit: obedite auribus obedientibus. Et iterum dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes vicino obedientiae pede jubentis vocem factis insequuntur; & veluti uno momento prædicta magistri jussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur."

Benedicto congruens S. Columbanus ait. "Ad primum verbum Senior omnes ad obediendum audientes surgere oportet: Quia obedientia Deo exhibetur, dicente Domino nostro Jesu Christo: Qui vos audit me audit."

Et S. Bonaventura: "Obediens non est, sed negligens, qui secundum expectat mandatum. Ut obedientia Religiosi Deo acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione."

VII. Quartò obediendum non tepidè monet Regula Benedictina cap. 5. sed ferventer, sollicitè & diligentè: hoc est ex charitate obedire. Charitas enim excitat fervorem & sollicitudinem. Unde cap. 71. dicitur: "Omnes juniores Prioribus suis omni charitate & sollicitudine obediant."

VIII. Quintò, obedientia exhibeatur hilariter, sive ut Regula Benedictina exponit; cum bono animo; quia HILAREM datorum diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiam si impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. "Dicit cap. 5.

IX. Porro talis nequaquam erit Religiosa obedientia, nisi prius propriae renuntietur voluntati. Unde & S. Benedictus veros obedientes dicit, voluntatem propriam deserentes. Et inter instrumenta bonorum operum reponit, voluntatem propriam odisse. Et cap. 7. suæ Regulae vult, ut quis propriam non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere.

Nec tantum propriae voluntati renuntiare, atque Superiorum se voluntati subicere tenetur obediens Religiosus; sed etiam proprio judicio renuntians alienum sequi; juxta illud de veris obedientibus Filiis dictum S. Benedicti, citato cap. 5. "Non suo arbitrio viventes, vel desiderii suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio & imperio in cenobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant." Vel ut ait cap. 72. "non quod sibi utile, sed quod magis alii." Atque hæc est illa præfata recentioribusque toties commendata OBEDIENTIA CÆCA; de qua latius capite sequenti.

CAPUT II. De Obedientia cæca.

- 1. Veri obedientes alieno judicio vivunt; & hinc obedientia cæca.
2. Obedientia an exigat, ut in omnibus obediatur Superioribus.
3. Interdum magna in obediendo discretione opus est.
4. Non semper Monachum excusat præceptum aut licentia Prælati.
5. Quæ ratione obedientia dicitur cæca?
6. In quibus obedientia debeat esse cæca?
7. In aliquibus cum magna discretione & discussione obediendum est.
8. Valde perversum est obedire Superioribus contra legem Dei aliquid præcipientibus.
9. Aliquorum obedientia merito dicitur inobedientia.
10. Quandoque voluntas Prælati suscipienda ut voluntas Dei.
11. Obedientia fiduciam conciliat Monacho in agendis si Prælati sit talis, qualis esse debet.
12. Subinde major difficultas est, majusque meritum in refragando, quam obediendo Prælati.

I. Sanctus Benedictus de veris obedientibus ait: Non suo arbitrio viventes & desideria suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes ALIENO JUDICIO & imperio. C. 5. Reg.

Cui congruit illud S. Gregorii in I. Regum cap. 14. "Vera obedientia nec Præpositi interiora discutit, nec præcepta discernit; quia qui omne vitæ suæ judicium Majori subdidit, hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operetur."

"Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat."

Et Joannes Climacus Gradu 4. "Obedientia est inexcusata, & indiscussa mutus, spontanea mors. Obedientia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistit, nihilque discernit, mortua in malis, & in bonis apparentibus." Ita legit editio Veneta.

Hinc illa à Patribus aliisque vitæ Monasticae Magistris tot encomiis celebrata obedientia cæca.

II. Quid igitur, obediendum indifferenter ac generaliter Superiorum mandatis, nullumque subditis periculum obediendo imminere potest: adeo ut sine discussione aut examine cæca obedientia in omnibus Prælatorum præceptis obtemperantes in suis actionibus sint omnino securi, quod nihil Dei voluntati contrarium faciant? Nequaquam sanè.

III. Ad monendi sunt subditi (ait S. Gregorius apud Gratianum 2. q. 7. Can. 57.) ne plus quam expedit sint subditi, ne cum student plus quam necesse est hominibus subditi, compellantur vitia eorum venerari."

IV. Cui consonat quod Adamo Monacho, se ob præceptum Superioris quod sequutus fuerat, excusare volentem respondit S. Bernardus.

"Sed quid ad me, inquiebat Monachus, ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat. Non est discipulus super Magistrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorum auctoritatem. Ad hæc exclamat Doctor ineluctabilis: "O Monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet Seniorum verbalibus ne unum quidem jota præteriret. Non attendit quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Et hæc est obedientia sine mora. Si ita oportet, sine causa legitur in Ecclesia: Omnia probate, quod bonum est tenete. Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii: Estote prudentes sicut serpentes, sufficienter quippe quod sequitur, Et simplices sicut columbae. Nec dico à subditis mandata Prælatorum esse dicenda, ubi nil juberi deprehenditur divinis conditionibus institutum, sed necessariam alsero & prudentiam, quæ advertitur, si quid adversatur, & libertatem, quæ ingenue contemnatur."

Prudentia ergo Christiana etiam in obediendo necessaria est Monacho. Et sanè quia omnis Superior homo est, isque peccatis & ignorantis obnoxius, quidni & in præcipiendo à lege Dei incommutabili recedere possit? Quod si contigerit, indubitanter, uti loquitur Bernardus, peragendum in Petri sententiam: Quia oportet Deo magis obedire, quam hominibus.

V. Quæ ratione ergo cæca obedientia? Respondeo, cæca est ea quæ cupiditas seu amor proprius suggerit. Vera enim ac perfecta obedientia non solet discutere, aut inquirere, quæ contra Superiorum mandata amor proprius sive cupiditas suggerit, ut se à mandatis eximere possit; ut puta, quod naturæ nimium dura & aspera, imo quodammodo impossibilia: quod alteri potius quam sibi id injungendum esset; quod importuno præcipiatur tempore; quod ultra Regulam; quod indisceritè; imo malo & averio animo, atque similia: Ad ista, inquam, cæca est perfecta obedientia, nihilque eorum sollicita attendere, aut discutere; Prælatorum judicio, tanquam Dei Ordinationi se subiciens.

VI. De his intelligi oportet illud Bernardi tractatu de præcepto & dispensatione cap. 10. "Porro imperfecti cordis & infirma protervis voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere; herere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem; & male suspicari de omni præcepto cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, T 2

quod non licet licere seu expe-
dire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata aucto-
ritas. Delicata satis imò nimis molesta est nujulcemo-
di obedientia. Non plane hæcilla est, quæ ex regula tra-
ditur, obedientia sine mora."

VII. At cum de transgressione legis divinæ agitur, ne-
quaquam vera obedientia caca est; sed tota luminosa, &
undeque prospiciens & attendens: utpotè ex lumino-
sa Dei charitate Superioribus tamquam Deo obediens,
solicite cavet, ne Superioribus obediens, Deo inveniatur
inobediens.

VIII. Sciunt hi quod ad Adamum Monachum dicebat
S. Bernardus in citata Epistola 7. "Valde autem perversum
est profiteri te obediens, in quo nolceris superiorem;
propter inferiorem, id est, divinam propter humanam
solvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo,
prohibet Deus, & ego audiam hominem, surdus Deo?
Non sic Apostolus. Clamant quippe dicentes: Melius est
obedire Deo, quam hominibus. Igitur facere malum quo-
libet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed
potius inobedientiam."

IX. Illa ergo obedientia, qua nonnulli se in omnibus
sive ulla discussione Superiorum voluntati subjiciunt;
præsertim in his quæ corruptæ naturæ & concupiscen-
tis magis favent, & ad Regulæ ac disciplinæ Monasticæ rela-
xationem tendunt; idque non raro ut sibi Abbatum aut Su-
periorum gratiam & favorem concilient, sæpius potius
inobediens, quam obedientia dicenda erit; atque hic me-
rito applicari potest, quod Adamo Monacho similem
obedientiam obtendenti respondit S. Bernardus: "Vanis-
sima præsumptionem, turpissimam levitatem, cru-
delissimam dissensionem, obedientiam, modestiam, man-
suetudinis nominibus velas & velatis fordibus sacra illa
vocalia maculas."

X. Itaque dicamus cum S. Basilio in Regulis breviter dis-
putatis quæst. 114. "Quod si quid nobis imperatum sit,
quod idem sit cum mandato Domini, adjuvetve, illud
tamquam voluntas Dei studiosius diligentiusq; à nobis
suscipi debet, idque servari convenit, quod dictum est:
supportantes invicem in charitate Christi. Quoties vero
aliquid, quod mandato Domini aut repugnat, aut aliqua
ex parte vitæ contamineve, facere ab aliquo iussu fue-
rimus, tunc commode illud usurpabimus: Oportet obe-
dire Deo magis, quam hominibus."

XI. Illud equidem indubitatum est, per obedientiam
Religiosam conciliari fiduciam ac pacem internam, si
Monachi nacti fuerint Superiorem, qui rectum iter ad
Deum volentibus pergere (uti loquitur S. Basilus) sciat
comonstrare, qui ornatus virtutibus sit, cujus univer-
sæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sunt, charita-
tem in eo erga Deum inesse, qui divinatum litterarum
scientiam habeat, virum integrum, nec ulli distractio-
ni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minimè li-
benter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, a-
mantem Deum, egentium studiosum, minimè iracun-
dum, injuriarum in memorem, natura propensum ad
eos docendos, qui ad ipsum accedant, quem gloria ina-
nis non inflat, superbia non extollat, adulatio non fran-
gat, severum atque constantem, cui denique nihil sit
præstantius honore Dei. Tunc Monacho rectè dice-
tur: "Voluntatem tuam exuito, ac foras projicito: atque
ubi hoc feceris, dede te illi, ut sincerissimi veluti vas
quoddam existas, qui quæ in te infundantur virtutes, ad
laudem Dei gloriamque ab omni vitio castas conserves."

XII. At è contrario si Superior scientiâ convenienti ap-
pareat destitutus, plus habens de mundi quam Religio-
nis spiritu, magis ad relaxationem quam Religiosam ob-
servantiam inclinatus; tunc indubiè non tantum prudentiâ
ac discretione magna in obediendo; sed etiam non
raro magna virtute & constantia opus erit, ut Superiorum
voluntati & inclinationi non pareatur: quin & subinde
difficilius erit in Monasteriis, quibus similes Superiores
præsumunt, Deo fideliter servire, & vota sua exactè persol-

vere, quam in Monasteriis reformatis ardua quæque ac
aspera vitæ Monastica exercitia cum plena ac perfecta
obedientia subire.

CAPUT III.

An obediendum Superiori aliquid contra
vel supra Regulam præcipienti?

- 1. Quod ante professionem eras libertatis, post professio-
nem sit necessitatis.
2. Superiori obediendum est juxta Regulam.
3. Promissio obedientia si salva professione, sive secun-
dum Regulam.
4. Abbas non potest suo arbitrio Regulam infringere.
5. Differentia eorum, qua in Regula occurrunt.
6. In his quæ ad substantiam Regula pertinent Superior
dispensare nequit.
7. Vitam communem relaxare Superior non potest.
8. Superioribus eam auctoritatem sibi asserentibus cre-
dendum non esse declaravit Clemens VIII.
9. Quædam in Regula præcipiuntur, quæ ad substantiam
Regula non spectant.
10. Quomodo in his Superiores interdum dispensare possint.
11. Obedire Superiori relaxanti aliquid de Regula plus
meriti habet, quam exteriore Regula observantia
insistere.
12. Superiori fas non est arctiorem vivendi normam suis
prescribere quam Regulam continetur.
13. Potest aliquando Superior aliquid subdito imponere,
quod Regula non prescribit.
14. Id permittit S. Benedictus.
15. His non refragatur S. Bernardus.
16. Non facile recusanda obedientia, dum aliquid imponi-
tur quod supra Regulam videtur.

Quod de Regula S. Benedicti dixit S. Bernardus,
ad universum de omnium Ordinum Regulis di-
cendum, nimirum quod illa "omni homini proponitur,
imponitur nulli: prodest, si devotè suscipitur & tene-
tur: non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in
voluntate est suscipiendis, non in potestate proponen-
tis, voluntarium merito dixerim, non necessarium. At-
tamen hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex
propria voluntate semel admisit, & promiserit dein-
ceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse con-
vertit; nec jam liberum habet dimittere, quod ante ta-
men non suscipere liberum habuit. Ideoque quod ex
voluntate suscepit, ex necessitate jam tenet: quia
omniò necesse est eum reddere vota sua, quæ distinxerunt
labia sua, ex ore suo aut condemnari jam aut iusti-
ficari."

Uno verbo, quæ in Regula continentur, nec tamen à
Deo aut Ecclesia præcepta sunt, non profitentibus qui-
dem libera sunt, nec eos gravant non observata: cum ta-
men Profitentibus, ait ibidem Bernardus, in præcepta, præ-
varicantibus in crimina fiant.

Quemadmodum ergo non sufficit Religioso velle Su-
periori obedire, nisi unâ & Deo obediatur; quia, ut ait Ber-
nardus loco citato cap. 14. "ut interior oculus verè sim-
plex sit, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in in-
tentione, & in electione veritatem," ita nec Superiori
obediendum, nisi secundum Regulam imperet. Regulam
enim quam professus est, tenetur Religiosus servare; &
consequenter obedientiam ita exhibere Superiori, ut Re-
gula: votique non inveniatur prævaricator.

III. Quod & in ipsa professionis formula indicatum
voluit Benedictus, cum obedientiam exigit, non simpliciter,
sed secundum Regulam.

Hoc advertens S. Bernardus ait: "Hic qui proficetur
spondet quidem obedientiam, sed non omnimodam, sed
determinatè secundum Regulam." Et alibi: "Dico ergo
Abbatem per omnia obtemperandum, sed salvè professio-
nis." Epist. 7.

IV. Nequaquam ergo Abbati, aut Superiori obedi-
entia exhibenda, si obediendo constitueretur Regulæ trans-
gressor. Neque enim Abbatis est Regulam invertere, aut
ab ea pro suo recedere arbitrio. Notum est, (ait Ber-
nardus Ep. 7.) solenniter ac regulariter profiteri quem-
que in præsentia Abbatis. In præsentia ergò tantum non
etiam ad nutum ipsius sit cuiusque professio. Testis pro-
fessio, in dicitur Abbas non dictator professio nisi, adjuvor
non fraudator adimpletionis; vindex non auctor præva-
ricationis. Quod igitur? Ponam in manu Abbatis
quod abique ulla exceptione coram Deo & Sanctis
ejus propria manu & ore firmavi, audiens ex Regula,
si quando aliter fecero, à Deo me esse damnandum,
quem irrideo? Si Abbas meus aut etiam Angelus de
cælo contraria iusserit, libere recusabo hujusmodi obe-
dientiam, quæ me transgressorem voti proprii, & pe-
jorare faciat nomen Dei mei.... Videat denique Abbas
meus quid sibi faciendum putet de eo quod ex Regula
ad ipsum specialiter dirigitur, ut præsentem Regulam in
omnibus conservet; ceterum quod universali ter præcipitur,
& nemo excipitur: ut omnes scilicet per omnia magi-
stram sequantur Regulam; nec ab ea temere devietur à
quoquam. Ego sic ipsum sequi decrevi semper & ubique
magistrum, ut nequaquam à Regula, quam teste ipso
juravi & statui custodire, deviam magisterio.

V. Sed numquid Abbas hujus Regularis Superior in
Regula dispensare potest, etique dispensanti à Subditis ob-
edientia exhibenda? Pro hujus quæstionis elucidatione
& resolutione prænotandum, quædam in Regula esse,
quæ etiam inviolabili, & immobili lege Dei præcepta
sunt; ut v. g. quidquid de amore Dei & proximi, de hu-
militate, mansuetudine ceterisque virtutibus Regula
præscribit. Alia sunt, quæ quidem præcepto divino om-
nibus non sunt imposita, sed tamen talia sunt, ut sine illis
professio Religiosa, seu vota emissæ nequaquam servari
queant.

VI. Quoad hæc nulla est Superiori dispensandi aucto-
ritas; quia ipse non destructor professionis, sed vindex
professionis constituitur: nec Regulam ipse destruere,
sed conservare jubetur. Unde inter monita, quæ Abbati
proponit S. Benedictus illud est præcipuum, ut præsentem
Regulam in omnibus conservet. Neque enim, ait Bernar-
dus, Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse spon-
tanea se professione submisit.

VII. Si ergo Abbatis alteriusve Prælati jussio servari
nequeat sine manifesta relaxatione vel infractione vo-
torum aut vitæ communis, quæ, ut ait Synodus Tridenti-
na Sess. 25. De Regularibus cap. 1. "ad substantiam Regu-
laris vitæ pertinent; & bases sunt & fundamenta totius
Regularis disciplinæ, quibus non exactè conservatis, to-
tus in corrumpat adificium necesse est," nequaquam ei ob-
ediendum erit; sed dicere poterit subditus, quod in simili
dixit Bernardus: "Libere recusabo hujusmodi obedi-
entiam, quæ me transgressorem voti proprii constituit, &
pejorare faciat nomen Dei mei."

VIII. Hicæ principis insitens Clemens VIII. in Con-
stitutione quæ incipit, Nullus omnino, propositâ vitâ com-
muni, ad quam vi suæ professionis Regularis obligantur,
penitentie in non observantes decretis, monet universos,
se à dictis pœnis nequaquam futuros immunes ob Superi-
orum quancumque indulgentiam: "etiam nisi, ait,
Superiores assererent se ejusmodi dispensationes, aut
licentias dari posse: quibus in ea re fidem minimè ad-
hiberi volumus.

IX. Tertii denique generis præcepta in Regulis Mo-
nasticis occurrunt, quæ quidem ad legis divinæ, ipsiusque
professionis monasticis observantiam plurimum conducunt,
atque pro facilitanda votorum impletione ordina-
tissimè præscripta fuere, nequaquam tamen ita necessaria
sunt, quin interdum sine illis non tantum lex divina, sed
etiam ipsa Religiosa professio exactè observari queat;
imò si ad litteram Regulæ semper deberent observari,
nonnumquam legis divinæ, aut professionis monasticæ
Van Espen Jus Eccles. P. I.

impletioni plus obediant, quam prodesse, cujus generis
sunt jejunia, vigiliæ, aliæque corporales exercitatio-
nes.

X. Hæc, quia & per ipsam Regulam, cui & Abbas
subjectus est, ordinata sunt, quamdiu charitati [cui aug-
mendæ & fovendæ unicè Regula subservit] militent, im-
mobiliter fixa sunt, inquit S. Bernardus, immutari que-
omniò ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa pos-
sunt. At si contraria aliquando charitati visa fuerint, his
duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, & provide-
re creditum est, nonne iustissimum esse liquet, ut quæ
pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi
expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur,
vel in aliud fortè commodius demutentur? Hæc Bernardus
Tractatu De Præcepto & Dispensatione cap. 2, qui ibidem
cap. 4. fuse ostendit, neque hæc in Abbatis ita voluntate
sita esse ut ejus sei viant voluntati, sed magis charitati. "Esto
proinde [pergit Bernardus] ut interdum Regulam lute-
ra cedat pro tempore charitati, cum ratio necessitatis
vel charitatis exegerit, absit tamen ut hominis cuiuspiam
subdat voluntati.... Arbitror namque sanctas illas
observantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas;
non subditas voluntati."

Licet ergo Prælati ne in his externis atque corporali-
bus observantiis Regulam abolere aut mutare queant,
possunt tamen pro temporum ac personarum circumstan-
tiis in illis ex justa causa dispensare, ut charitati subser-
vant. Neque in hoc Regulæ repugnant, sed obsequuntur,
quæ hæc non quidem Prælatorum voluntati, sed providæ
dispensationi relinquunt.

XI. Proinde obedientia Religiosa, tametsi à Regula
recedere non debeat, nec Prælati Regulæ prævarica-
tionem sequi, tamen Prælati pro tempore aut personis
ex rationabili causa in his dispensanti obsequi tenentur;
imò & in his subinde locum habere potest caca obe-
dientia: ac interdum plus meriti erit in obediendo, quam
in arctiori ipsius Regulæ exteriore & litterali observan-
tia.

XII. Porro sicuti Prælati fas non est, Regulam pro
suo arbitrio relaxare, subditosque ab ejus observantia ge-
neraliter & in perpetuum eximere; ita nec illi fas est,
ejus rigorem augere, atque Subditos arctiori Regulæ sub-
jicere.

Is qui proficetur, (verbis loquor S. Bernardi) spon-
det quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed
determinatè secundum Regulam, ... ut oporteat eum,
qui præest, non fræna suæ laxare voluntati super Subdi-
tos: sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram.... Ergo
Prælati jussio vel prohibito non prætereant terminos
professionis. Nec ultra extendi potest, nec contrahi ci-
tra. Nil me Prælati prohibeat horum quæ promisi, nec
plus exigat quam promisi. Vota mea nec augeat sine
mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.... Po-
nant ergo Præpositi metam obedientiæ Subjectorum ex
votis laborum ipsorum, non suorum desideriorum:
monentes eos, non cogentes ad celsiora; condescenden-
tes eis cum necesse fuerit ad remissiora, non cadentes
cum eis." De Præcepto & disp. cap. 4. § 5.

XIII. Verum hinc nullatenus consequens, Abbatem
aliumve Superiorem non posse subinde in certis circum-
stantiis, & iustis de causis, vel in pœnam delinquentis, vel
pro exercitio virtutis huic illive Religioso injungere ali-
quod opus magis arduum, v. g. jejunium prolixius, quam
Regula præscribit.

XIV. In his rursus ipsa Religiosa obedientia elucere
debet: quod & non obscure supponit S. Benedictus cap.
68. suæ Regulæ præcipiens, ut Monachus etiam obediatur,
si aliqua fortè gravia aut impossibilia injunguntur; apertè
satis innuens, illa à Prælato ultra Regulam imponi sub-
inde posse.

XV. Dicta igitur S. Bernardi nequaquam accipienda
sunt de Præpositis, qui iusta de causa in casu aliquo parti-
culari aliquid ultra Regulam imponunt; sed de his, qui